



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Germanvs Paris Ep. 28. Maij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

mite. Nam ad Lateranum Angelum invenit, qui toto itinere latus euntis stipavit, dolentis credo cum urbem aspiceret, quod iter longius non fuisset. Iam sub ingressum, cum miraculo prodita esset (morbum nescio à quo removerat) nobilem hospitem, nobile hospitium carcer martyrum excepit, ita Agathio Procos. jubente. Exin scorpionibus caesa cecinit. VII. dies noctesque sine victu clausa cum Angelis vixit, oblita jam cibi, aspectu satiata. Denique capite unà cum Cyrillo Episcopo aliisque truncata, caelum subit, cum carceris custodes, & adeo carnifices miraculis captos eadem viâ nuper jam præmisisset. *Ex Ferrar.*

Non est injustus Deus, ut obliſcatur operis boni: vivit apud eum memoria beneficij semel accepti. Beatus, apud quem Deus vel semel requiem invenit; in cujus tabernaculo vel horâ unâ requieverit.
Gueric. serm. 3. de Ass. B. M. V.

S. GERMANVS PARIS. EP.

28. Maii.

GERMANO mors nondum nato, ab ipsâ, quod obomineris, matre; nato ab a viâ propinata est; nihilominus inter domestica latrocinia adolevit, veneno priore maternis visceribus, sine noxâ factus, diffuso, altero ad aviæ filium delato, æquissimo sine dubio errore, ut, cui Germani hæreditas quærebatur, idem paratam innocenti pestem biberet. GERMANVM contra Parisiensis mitra expectabat, & in omnes morbos jus, benevolentia Numinis maleficia mortalium in ejus gloriam vertente. Saliva ejus, vestium lacinia, stramen, quod in cubitu pressisset, vinum medicam habere. Hæc alexipharmaca etiam Reges ambie-

M

ban

bant. Clotharius, quod virum sanctum parum civili pro foribus morâ fatigasset, injuriam febriliter, quâ modestior factus, posttidie S. viri palliolum osculis trivit, eoque intestinum ignem extinxit. Unicam literulam chirographi ejus delinxisse, monacho biennium ægro salutem fuit. Fugientem animam illustris femina filo de viri veste rapto retraxit. Alteri jam exanimi cum frigidâ vitam infudit. Unicâ voce flammam sopivit, Crucis signo compedes solvit, populatores agrorum utrosque extinxit, totas dæmonum catervas fugavit. Et tamen hic morborum, & ipsius adeo mortis triumphator, obitus sui diem non animo modo, sed oculis etiam ingerere non destitit; hoc ad lecti spondam epigrammate affixo, V. KAL. IUNIAS: id quod spectaret non ante intellectum est, quàm eodem die octogenario proximus decederet. Tu, si sapias, ne incerta hora te mortis fallat.

Omnem crede diem tibi illuxisse supremum.

Ex Suario.

Homo lenocinantem mundi gloriam sub iudicii sui calcibus deprimat, virorem carnis aridum jam pulverem credat, diem suæ vocationis tanquam speculum suis obtutibus semper anteponat; districtum ultima discussionis iudicium contremiscat. S. Pet. Dam. l. 1. ep. 17.

S. CONON MART. 29. Maij.

Nobilitatem CONONIS inde æstimo, quod totis elementis imperavit. Nam & ruentis fluvii impetum tam diu suspendit, dum homines ociosi transirent; & aliàs latè campos inundantem ad modestiam revocavit veteresque riparum leges